

gistrorum instructio, praejudicia vulgo communia &c. his enim impeditur, quo minus ideas, quas alte imbibit, rite discutiat, quaeque comprehendunt impertinentia saepe etiam repugnancia, cognoscat.

C A P U T V I.

DE DEFECTUUM IN COGNOSCENDO REMEDIIS, SEU MODO IDEAS PERFICIENDI.

§. I.

Ad evitandos defectus in cognitionibus nostris eorum causas habere perspectas, primum est.

Expositis hucusque defectuum causis in cognitionibus seu ideis nostris, nunc eorum quoque remedia explicare necesse est: parum enim defectus eorumque causas cognoscere nobis proderit, nisi, quibus eisdem salubriter occurri possit, remedia sciamus; quemadmodum parum sublevat aegrotum, quod morbi status constet, nisi medicum quoque paratum inveniat, qui salubribus medicaminibus morbum curare sciatur. Interim, sicuti majorem jure consequendae salutis spem concipit aegrotus, quando morbi status Medico cognitus est, quam si is eum lateat; ita cognitis quoque defectuum causis, eorum remedia multo confidentius adsignare & adhibere poterimus. Imo ad evitandos defectus in cognitionibus nostris remedium primum est, eorum causas rite perspectas habere.

§. 2.

Media perficiendi cognitiones sensuales.

Ad perficiendas vero cognitiones sensuales ceu media salutaria sequentes communiter praescribuntur canones.

1. *Sensus cum adtentione adhibendi sunt.* Hoc enim nisi fiat, impressiones solum debiles inde in nobis sequentur, quae facile iterum delentur & evanescunt.

2. *Objectum sub tot sensus redigatur, sub quot redigi potest.* Ita enim plures objecti qualitates nobis innotescunt, uberiorque reflectendi materies menti suppeditabitur, quo objectum ipsum distinctius cognoscatur.

3. *Sensationes circa idem objectum saepius repeatuntur.* Sic enim, quod in prima sensatione non percepimus, in secunda forte aut tertia a nobis percipietur.

4. *Objectum ipsum varie transponatur, nisi ipsum aliunde transponi contingat.* Sic enim ex circumstantiis loci, temporis &c. variatis colligere licebit, quid in eo constans, quid sit varabile.

5. *Composita, quantum fieri potest resolvantur, ac resoluta rursus componantur.* Sic enim melius singulas compositi partes percipiendo claram & distinctam compositi ideam nobis comparamus: ipse etiam componendi modus rite cognitus ad clariorem ac plane distinctam compositi notionem adquirendam pluriimum confert.

6. Sen-

6. *Sensuum quoque organis instrumenta & quidem, quae haberi possunt optima, adhibeantur: ita enim multa adhuc in objecto detegentur, quae organis non armatis minime percipiebantur.*

7. *Ea quoque, quae objectum nostrum aut praecedunt, subsequuntur, aut eidem coexistunt, diligenter adnotentur.*

8. Exinde reflectendo singula, quae in objecto observata sunt, adtentata mente recognitentur, & ab invicem rite discernantur, quod lignorum usū, qualia communiter adhiberi solent voces, facilius conficietur. Ad objectum rursus referantur, ut ita intrinseca ab extrinsecis, constantia a variabilibus, ab accidentalibus essentialia internosci & seorsim sine aliis repraesentari queant. Objectum ipsum cum aliis conferatur, ut quaenam ex illis, quae ipsi convenient, cum aliis communia, quaenam sibi propria habeat, dignoscatur. Adtendatur praecipue, cum quibusnam totam, & cum quibus partem solum essentiae communem habeat: ut, ad quam speciem pertineat, sub quo genere contineatur, & quae sit ejus differentia specifica, patetiat. Genus porro in ea, quae comprehendit, resolvatur &c.

Ita a posteriori seu per experientiam ideae rerum sensibilium, quae sensibus nostris obviae sunt, clarae, distinctae & completae &c. adquiruntur & ex singularibus evadunt universales. Ex quibus exinde ceu a priori alias ratiocinando deducimus. Eodem fere modo reflectendo scilicet super ea, quae sensu intimo in nobismer ipsis percipimus, ideae spiritualium perficiuntur. Aliter tamen perficiendas sunt ideae, quae ex vocibus immediate

hauriuntur, quarumque objecta per voces primum
nōbis innotescunt: in his perficiendis utimur praecipue definitione, & divisione, de quibus infra.

Sed ex his omnibus me quoque non monente quisque intelligit, ad perficiendas rerum cognitiones solertia opus esse & adtentio, ac proinde amoveri debere, quidquid aut languidum reddit animum, ejusque acumen retundit, aut adtentio, nōstram ad varia & impertinentia distrahit, veluti sunt nimia corporis cura, luxus, cibus potusque nimius & inordinatus, ludi, aliaeque voluptates, adfectus, phantasia &c.

Ne Parentum denique educatio, Magistrorum institutio, ac vulgi praējudicia in adquirendis rerum cognitionibus claris & distinctis cuidam tibi impedimento sint; ideas omnes hac ratione acquifitas tamdiu suspectas habeto, donec eas stricto examine discussas veras esse & legitimas compereris.



LIBER